negotium ſpectet virtute reconventionis, *d. l. Papinianus*; tamen non eſt eadem controverſia ac illa, de qua compromiſſum fuit. Difficilius eſt, quod de judice delegato expendebamus: certum enim eſt, coram eo reconventionem dari, non autem coram arbitro. Rationem diſcriminis aliqui ex eo petunt, quod reconventio locum non habet niſi apud judicem, quem ſolus actor elegit, ut probat textus ſic communiter acceptus *in d. l. Papinianus, in fine*; ſecus vero ſi ambo judicem eligant, quia ceſſat ratio dictæ legis, & per conſequens reconventio. Unde cum arbitri utriuſque litigantis conſenſu eliguntur, *c. 1. hoc tit.* delegatus vero judex ſæpe ſæpius ad ſolius auctoris petitionem detur, inde coram arbitris reconventio ceſſat: coram delegatis vero admittitur. Ita docent Panorm. *in præſenti, n. 6.* & *in cap. 1, de mutuis petit. notab. 1. & 2.* Barboſa *in l. qui prior, n. 42. ff. de judiciis*, Cardoſo *in praxi, verbo Reconventio, n. 9.* Maranta *de ordine judic. diſp. 5. n. 7.* Sed hæc differentiæ ratio convincitur, primo quia coram judice ordinario rei, quem actor non elegit, ſed neceſſitate juris adire cogitur, cum ejus forum ſequi teneatur, *c. cum ſit generale, de foro compet.* reconventio admittitur, *c. 2. de mutuis petitionibus*: igitur verum non eſt, tantum admitti reconventionem coram judice ab actore tantum electo. Secundo certum eſt, apud judicem prorogatum ex conſenſu utriuſque partis habere locum reconventionem. Gloſſa *in libr. etſi receptum, ff. de juriſd.* ubi Oroſius Zaſius *l. 2. ſingul. c. 27.* & tamen in ea ſpecie non eligitur judex a ſolo actore, ſed etiam a reo, *l. 2. ff. de jud.* igitur coram judice ex partium conſenſu electo reconventioni locus eſt.

6 Traditur vera ſolutio. Omiſſa igitur prædicta differentiæ ratione, verius reſpondendum eſt, arbitrium non poſſe de mutua petitione cognoſcere, aut coram eo reconventionem fieri; quia cum poteſtas ipſius omnino pendeat a partium compromiſſo, lex aliquam prorogationem non induxit ad ea, quæ comprehenſa non ſunt in ipſo compromiſſo, ne contra mentem compromittentium aliquid ſtatuatur, cum compromiſſa maxime ſtricta ſint. Gloſſa ultima *in c. cum ſecundo, de officio deleg.* unde proviſio partium compromittentium ſuper certa cauſa tollit proviſionem legis, argumento textus *in l. ult. C. de pactis conventis*; at vero in delegato, quia juriſdictionem exercet, & ita publicam auctoritatem habet interpretandam juxta communes juris regulas, & mentem delegantis, merito lex ipſa prorogationem inducit, per quam poteſtas illa extenditur ad cauſam reconventionis, *de d. cap. 1. de mutuis petit. d. l. cum Papinianus*; & hoc eſt, ſi attente legatur præſens deciſio, quod Innocentius innuit, dum docet reconventionem in arbitris ceſſare, quia eorum poteſtas verſatur tantum circa expreſſa, & lex nullam prorogationem inducit; ſine extenſione autem poteſtas arbitrorum ad reconventionem trahi non poteſt: quod ſecus procedit in judice delegato cujus poteſtas extenditur per legem, ita ut cognoſcere poſſit non ſolum de expreſſis in reſcripti tenore, verum de aliis, quæ per extenſionem legis ex æquitate includuntur: & ita ratio defenditur noſtri Innoc. III. quam diminutam, nec concludentem eſſe exiſtimarunt Panormit. hic, *n. 6.* Jaſo *in d. l. eſt receptum, n. ult.* ubi Oroſius *n. 14.* unde deducitur arbitros juris ſuſceptos ex juris neceſſitate, qui æquiparantur judicibus delegatis, *c. arbitris, de officio deleg. in 6.* poſſe adiri per viam reconventionis, quia amplam ex juris diſpoſitione accipiunt poteſtatem, ut pluribus relatis docent Ripol. *variat. reſol. cap. 4. n. 66.* Anſaldus *de juriſd. p. 3. tit. unico, c. 9. n. 15.* Urſinus *d. c. 12. n. 18.*

7 Exponitur l. non diſtinguemus §. item ff. hoc tit. Sed adhuc ſupra dictæ aſſertioni obſtat textus *in l. non diſtinguemus 32. §. item ſi quis, ff. hoc tit.* ubi agitur de Legato Romæ degente; & quæritur, an ſi compromiſſum fecerit, poſſit petere ut arbiter ſententiam ferat? Et affirmat Paulus, ipſum petere poſſe, ut arbiter dicat ſententiam, quia etſi judicium ſuſceperit, cogetur peragere, perindeque haberi, ac ſi Legatus velit actionem dictare, quod ei facere licet. Hoc autem compromiſſum comparandum eſſe actioni ordinariæ, Paulus docet, videlicet ut ſicut Legatus agens ordinaria actione, cogitur reconventus ſe defendere, ita in compromiſſo non magis admittatur Legatus deſiderans, ut arbiter ſententiam dicat, quam ſi ſe defendat. Ex quibus verbis deducitur, Legatum compromittentem poſſe reconveniri coram arbitro; igitur quia arbitri cognoſcere poſſunt de mutua petitione. Difficile etiam eſt idem Pauli reſponſum, dum docet, Legatum pendente legatione, poſſe actiones ſuas intentare, cum certum ſit juris principium, Legatum, dum legationis cauſa Romæ moratur, in judicio agere non poſſe, niſi injuriam propriam proſequatur, *l. Paulus 8. §. fin. cum lege ſequenti, ff. de legationibus*: igitur *in d. §. item Legatus*, nec actiones intentare, nec petere ut arbiter ſententiam diceret, poterat. Primæ difficultati reſpondendum eſt, in eo §. non affirmari, Legatum ſe defendere debere in cauſa reconventionis coram arbitro, ſed tantum cogi ſe defendere, videlicet coram judice ordinario, quaſi dicat Paulus: Legatus poteſt poſtulare, ut arbiter ſententiam dicat, ſi paratus ſit defendere coram judice ordinario, non autem coram arbitro, coram quo reconventioni locus non eſt, ut docuit Urſinus *de reconventione, c. 22. nu. 16.* Secundæ difficultati variis modis ſatisfacere intendunt juris Interpretes. Cujacius *l. 22. obſerv. c. 22.* exiſtimat, in eo textu addendam eſſe negationem, ut legatur, *ſi actionem velit dictare, quod ei facere non licet*. Div. Joannes Suarez *ad legem Aquil. lib. 4. capit. 7. ſect. 2. n. 7.* affirmat, Legatis non licere actiones ſuas exercere, dum in legatione morantur; ſub pœna dumtaxat deſertæ legationis; quia ea impoſita negotia privata a Legatis geſta vires habent, nec ipſo jure nulla ſunt. Aliter ſatisfacit Oſualdus *l. 17. ad Donell. c. 18.* qui ait, Legatum non poſſe negotia etiam ſua curare, cum de publico jure, & officio Legati quæritur, *d. l. Paulus, cum ſeq.* cum vero de jure privato agit, licere illi actionem dictare. Sed hæc, & alia latius examinabimus *in c. final. de foro competenti*.

8 Intelligitur l. qui arbiter, ff. hoc tit. Secundo opponi poteſt textus *in l. qui arbiter 20. alias l. ſi cum dies, §. plenum, ff. hoc tit.* ubi poſtquam Papinianus diſſeruit, quod dicatur plenum arbitrium ad hoc, ut de omnibus controverſiis arbitri cognoſcere poſſint, in calce textus illum caſum exagitat, in quo actum eſt, ut una tantum res veniat in compromiſſum. Et affirmat Conſultus, eo caſu neceſſarium eſſe exprimere in compromiſſo, ut de illa tantum re arbiter ſententiam dicat, ut de aliis ipſe cognoſcere non valeat: igitur ultra mentem, & voluntatem compromittentium licet arbitris de cauſis, de quibus actum non erat, ut cognoſcerent, arbitrium dicere; alias ad quid expreſſio illa, cum ſuperfluo adjiciantur, quæ tacite inſunt, *l. cum quidam 3. ff. de rebus creditis*. Cui difficultati reſpondendum eſt cum Fabro in ejus textu rationali, quod in eo texto tutius judicatur, ut exprimatur controverſia, ſuper qua compromiſſum ſit, non quia neceſſaria ſit expreſſio, ſed ad tollendum omne dubium, quod ex compromiſſo, ubi res expreſſa non eſt, oriri poterat. Unde ex eo textu recte Interpretes deducunt, abundantem cautelam non nocere: quod principium etiam probatur *ex lib. ſi ſervo, ff. de adimend. legat. lib. teſtamentum 12. Codic. de teſtamentis*.

C A P U T VII.

Idem *Rectori & Fratribus Hoſpitalis S. Bartholomæi* a *Lucani*.

CUM olim ſuper eligendo in hoſpitali veſtro Rectore, & Fratribus, inter vos, & Priorem S. Barthol. Lucan. coram judicibus delegatis quæſtio verteretur, & utraque pars in *b* eos compromittens ipſorum arbitrium ſe promiſerit ſervaturam, ſuper prolato ab ipſis arbitrio, utrinque dubitatio eſt exorta, quam petiiſtis per Sed. Ap. declarari. Nos igitur publico inſtrumento arbitrium continente diligenter inſpecto, cognovimus, quod ſecundum formam arbitrii Prior S. Bartholomæi Lucan. tenetur *c* habere conſilium cum familia Hoſpitalis ejuſdem, & tractare cum ea de inveniendo Rectore. Propter quod dicimus, quod niſi Prior ſuper inveniendo Rectore tractaverit cum familia Hoſpitalis, & ipſius conſilium requiſierit, non habet poteſtatem eligendi Rectorem: & ſi alio modo eum elegerit, ejus electio debet haberi irrita, & inanis. Verum habito cum familia ſuper hoc conſilio, & tractatu, Prior libere poteſt Rectorem eligere dumtaxat idoneum, ſive concordet, ſive diſcordet familia cum ipſo ſuper inventione Rectoris.

N O T Æ.

1 a *LUcan.*) De Lucanenſi civitate, & rebus Eccleſiaſticis ad eam pertinentibus plura adduxi *in c. cum cauſa 27. de elect.* Præſens textus etiam reperitur *in capit. 4. hoc tit. in 3. collection.*

b *In eos compromittens.*) Inter electionum enim formas a jure approbatas recenſetur electio per compromiſſum, quam illuſtravi *in c. cauſam, de elect.* 2

c *Habere conſilium.*) Hæc verba, & præſentem textum expoſui *in c. cum in veteri 52, de elect.* 3

C A P U T VIII.

Idem *in Concilio* a *generali*.

COntingit interdum, quod cum actor. *Et infra:* Ad hoc generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur.

NOTÆ.

N O T Æ.

2 a *GEnerali.*) Lateranenſi videlicet celebrato ſub Innoc. III. de quo aliqua notavi *in c. 1. de ſumma Trinitate*. Præſens textus reperitur in ipſo Concilio, *cap. 40.* cujus priora verba reperiuntur *in c. contingit, de dolo & contum.* & poſt illum textum ſtatim ſubjiciuntur hæc verba: „ Ad hæc „ generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus „ arbitretur. “ Quæ etiam reperiuntur in quarta collectione, „ *ſub hoc tit. c. 1.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio illuſtratur. EX hoc canone ſequens deducitur aſſertio: *Laici, licet ut arbitri in cauſis temporalibus etiam a clericis recipi poſſint, tamen in ſpiritualibus aſſumi non valent*. Probant textus *in c. pervenit 3. c. dilecti 4. c. per tuas 9. c. expoſita, hoc tit.* Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in collect. & t. 7. in ſelectis ad hunc textum*; quibus addendi ſunt Petrus Greg. *l. 4. practic. tit. 4. c. 5.* Martha *de juriſd. 4. p. centur. 2. c. 120.* Angujanus *de legibus l. 2. c. 23.* Brito *de locato, 2. part. ad principium, pag 216.* Vega, Baboa, & Garanna *in c. 2. de judiciis*, Lambertinus *de jurepatron. 3. par. q. 5. art. 1.* Hermoſinus *in c. quanto 3. de judiciis, q. 4.* Covarr. *de ſponſalibus, 2. part. c. 8. §. 2. n. 2.* & *pract. q. 34. n. 1.* Maranta *de ordine judic. 4. par. d. 13.* Fragoſo *de regimine, t. 1. l. 5. diſp. 14. n. 34.* Caniſius *in præſenti*, Vela *2. tomo, diſſert. 35. n. 9.*

2 Traditur ratio dubitandi. Sed in contrarium pro dubitandi ratione non leviter inſurgi poteſt ex eo, nam licet arbitria redacta ſint ad inſtar judiciorum, *l. 1. ff. hoc tit.* hoc tamen procedit quoad effectum, non vero quoad modum procedendi: judices enim ratione juriſdictionis procedunt: arbitri vero per viam miniſterii. Unde arbitri nec judices ſunt, nec publicam exercent juriſdictionem, quam partes illis dare nequeunt, *l. at Prætor, §. 1. ff. de re judic. l. privatorum, C. de juriſd.* quare arbitris obtemperatur potius metu pœnæ, quam ob imperium ipſorum, *c. dilecti, hoc titul.* igitur licet laici in negotiis Eccleſiaſticis judices eſſe nequeant, *c. decernimus*, cum vulgatis, *de judiciis*; arbitri tamen, cum nullam exerceant juriſdictionem, eſſe poſſunt. Accedit nam delegati, & arbitri æquiparantur, *c. penult. de in integrum reſtit.* ſed laicis poſſunt delegari cauſæ Eccleſiaſticæ, *c. Menam 2. q. 5.* Docent Covarr. *in c. alma, 1. part. §. 11. n. 3.* Garcia *de nobilit. gloſſa 9. n. 23.* Hugolinus *de cenſuris, tabul. 1. c. 1. §. 10.* Suarez *eod. tr. diſp. 2. ſect. 3.* igitur & arbitri in eiſdem cauſis recipi poſſunt. Augetur deinde hæc difficultas, nam laici aſſeſſores eſſe poſſunt in cauſis Eccleſiaſticis, *c. ſtatutum, §. aſſeſſorum, de reſcript. l. 6. l. conſiliarios, C. de officio aſſeſſ.* docent Barboſa *t. 6. in ſelect. ad hunc textum*: ergo laici etiam ut arbitri recipi poſſunt. Tandem augetur hæc dubitandi ratio *ex c. dilecti, c. expoſita, hoc tit.* ubi docetur laicos in cauſis Eccleſiaſticis arbitros eſſe poſſe.

3 De diverſis cauſis. Qua dubitandi ratione ſic fulcita non obſtante, vera eſt præſens conſtitutio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, cauſas in judicio contingentes, alias eſſe Eccleſiaſticas, alias temporales, miſtas alias, *c. 2. 4. q. 1. c. ſuper eo, de officio deleg. c. cum ſit generale*, juncti gloſſa finali, *de foro compet.* docent Martha *de juriſdict. 2. part. c. 1.* Simancas *de catholicis, titul. 36. num. 1.* & nos dicemus *in c. decernimus, de judiciis*. Ex quibus Eccleſiaſticæ dividuntur in Eccleſiaſticas ſpirituales meras, & in Eccleſiaſticas non meras. Meræ Eccleſiaſticæ ſpirituales dicuntur, quæ per ſpiritualem cognitionem diſcutiuntur, ut docent Martha *d. c. 1. n. 1.* Suarez *in defenſione fidei, l. 4. c. 2. n. 8.* & ideo earum diſtrictio, & cognitio dumtaxat ſpectat ad judices Eccleſiaſticos, qui ſpirituali juriſdictioni præſunt, *c. decernimus, de judiciis, c. cauſam, qui filii ſint legit. l. 56. tit. 6. part. 1.* docent Covarr. *l. 3. var. c. 3.* plures relati a Fermoſino *in d. c. decernimus*. Cauſæ autem Eccleſiaſticæ non meræ dicuntur illæ, quæ quamvis ex ſe, natura ſua temporales ſint, ſeu profanæ; juſtis tamen de cauſis Eccleſiaſticis judicibus reſervatæ ſunt, *cap. ut Inquiſitores, §. prohibemus, de hæreticis in 6. c. quoniam*, ibi: *Super cauſis Eccleſiaſticis, ſive quæ forum Eccleſiaſticum ſpectant; de immun. Eccl. l. 6.* quibus verbis ſignificatur, alias eſſe cauſas natura ſua Eccleſiaſticas, alias veræ, quo licet natura ſua non ſint Eccleſiaſticæ, pertinet tamen earum cognitio ad judicem Eccleſiaſticum. Quod etiam colligitur ex Trident. *ſeſſ. 25. de refor. c. 23.* Unde cauſæ omnes, tam Eccleſiarum, quam clericorum, quæ cum natura ſua eſſent profanæ, Pontificum, vel Conciliorum decretis Eccleſiæ judicio reſervantur, Eccleſiaſticæ appellantur, ſed non meræ: quia id non habent ex natura ſua, ſed ex jure conſtituto. Temporales cauſæ, ſeu profanæ ſunt, quæ ex ſe, & natura ſua non exigunt ſpiritualem cognitionem: nec in eis ulla ſubeſt cauſa, propter quam earum cognitio ad judicem Eccleſiaſticum ſpectet; & ideo in totum ad judices laicos pertinent, *c. quoniam, 10. d. c. cum ad verum, 93. d. c. novis, de judiciis*. Ex quo provenit, ut omnes cauſæ laicorum, tam civiles, quam criminales, ad judicium ſæculare ſpectent, ut docent P. Greg. *l. 47. ſyntagm. c. 4.* Vela *in c. 1. de officio Ordin. nu. 10.* Tandem cauſæ mixtæ appellantur, quæ licet natura ſua ſint temporales, earum tamen cognitio ad utrumque judicem, tam Eccleſiaſticum, quam ſæcularem ſpectat, & in illis præventioni locus eſt, juxta communiter noſtra *in c. 1. de officio ordin.* Martha *de juriſd. 2. part. c. 1.* Bobadilla *l. 2. polit. c. 17.* Salas *de legibus, diſp. 9. ſect. 5. nu. 48.* Thomas Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 54.*

Ex quibus jam apparet ratio præſentis canonis; nam cum laici Eccleſiaſtica negotia, maxime ea quæ ſpiritualia ſunt, tractare non poſſint, ſed Eccleſiaſtico judicio ſint reſervata, *c. 2. de judiciis*, quia eorum cognitio dependet ab ſpirituali cognitione, quam Chriſtus Dominus Petro, & ſucceſſoribus conceſſit, ut ab eis in inferiores Prælatos derivaretur, ut *Joannis c. ult. Matthæi c. 16.* defendunt Bellarminus *l. 1. de clericis, c. 28.* Morla *in empt. tit. de juriſdict. q. 12.* Covarr. *pract. q. 31.* & etiam quia Eccleſiaſticarum cauſarum cognitio a jure judicio Eccleſiæ reſervata eſt, *c. Silveſter, c. continua, 11. q. 3.* unde laici, qui rebus ſæcularibus ſunt implicati, non debent tractare hujuſmodi negotia, *c. ad verum, 96. diſt.* non enim eſt concedenda auctoritas judicandi illis, quibus obſequendi manet neceſſitas, *c. Eccleſias, de conſt. c. cum laicis, de rebus Eccleſiæ*. Quæ cum ita procedant in judiciis, & arbitria ſint redacta ad inſtar judiciorum, *l. 1. ff. hoc tit.* recte Innocentius in præſenti canone conſtituit, ne in laicos in ſpiritualibus cauſis compromiſſum fiat, cum indecens ſit, ut laici in his cauſis arbitrium dicant. Quam deciſivam rationem licet reprehendat Angujanus *l. 2. de legibus, c. 23. n. 12.* veram exiſtimo, *eamque* illuſtrat Barboſa *in ſelectis ad hunc textum*. Sed licet verum ſit, laicos in cauſis ſpiritualibus arbitros eſſe non poſſe, tamen ut arbitratores recipi, omnes Interpretes affirmant, & docent Bobadilla *t. 1. polit. l. 2. cap. 18. n. 140.* plures relati a Barboſa *in ſelectis ad hunc textum, n. 13.* Fragoſo *d. tr. de arbitris, diſp. 14. num. 34.* non enim omnes, qui prohibentur arbitrium dicere ut arbitri, vetantur ut arbitratores aſſumi; quia tunc procedunt, non tamquam judices, ſed ut amicabiles compoſitores, ut docent Blancus *de arbitris, n. 56.* Lanfracus *eod. tr. 2. part. num. 5.* Unde Judæi, quamvis nequeant arbitrium dicere in cauſis Chriſtianorum, ut probat Fragoſo proxime, *n. 41.* arbitratores tamen eligi poſſunt: & ſimiliter monachi, qui prohibentur compromiſſum ſuſcipere, arbitratores eſſe poſſunt, *c. injuſtum 11. q. 3.* Docent Bajo-Arroyo *in c. Quintavallis, num. 156. ff. de jurejur.* Accedit, nam arbitrator non judicialiter, ſed amicabiliter procedit: unde ceſſat ratio incapacitatis, & indecentiæ ſupra expenſa. 4 Traditur ratio decidendi.

Nec obſtat difficultas ſupra pro dubitandi ratione perpenſa; nam licet verum ſit, arbitrum non virtute juriſdictionis, ſed potius ut a partibus electum, poſſe de cauſis, controverſiiſque cognoſcere, & ideo ante Concilii Lateranenſis tempora, de quo in præſenti, laicos etiam in cauſis Eccleſiaſticis recipi poſſe; tamen poſt prædictum Concilium arbitri deſignari non poſſunt; id enim expreſſe prohibuerunt Patres in præſenti capite, quia licet non adſit ratio juriſdictionis, quæ in arbitro non datur, adeſt tamen ratio indecentiæ, quam aſſignarunt Patres in præſenti, ſupponentes compromiſſum in laicos factum ſuper re ſpirituali, ſtricti juris rigore valere, verum deinceps prohiberi tale compromiſſum ob indecentiam, quæ in eo maxime conſiſtit, quod arbitri in multis ad inſtar judicum, & in formam judicii procedunt; ordinemque judiciarium obſervare tenentur, *lib. idem Popenius, §. recepiſſe, ff. hoc tit.* inhoneſtum autem viſum eſt Patribus Concilii Lateran. laicos ut arbitros in cauſis Eccleſiaſticis procedere, ne in eis aliquam juriſdictionem exercere videantur. Quæ indecentiæ ratio licet per ſe non ſufficeret ad compromiſſum vitiandum ſuper re factum Eccleſiaſtica, ea tamen nititur præſens Concilii conſtitutio, ut hujuſmodi compromiſſum deinceps non fiat, ut docent Angujanus, & Barb. *ubi proxime*. Nec argumentum difficultatis petitum ab exemplo delegatorum obſtat; nam verum eſt, quod licet laici in cauſis Eccleſiaſticis, ut judices ordinarii procedere non poſſint, tamen tamquam delegati de eis cognoſcere valent. Diſcriminis ratio ex eo provenit, quia laicorum incapacitas impedit juriſdictionem proprio jure exercere, *d. cap. decernimus, de judiciis*; non autem nomine delegantis, quia tunc non proprio nomine, ſed ex perſona Pontificis delegantis, juriſdictionem exercent, *c. ſane, de officio delegati, l. 2. §. qui mandata, ff. de officio ejus*, & ideo ipſe R. P. potius juriſdictionem exercere videtur, regula *qui faciunt, de regulis juris l. 6.* Nec obſtabit ſi inſtes, judicem delegatum in cauſa ſibi commiſſa proprio judicio uti, *c. prudentiam, §. illa, de officio deleg.* & tamen laicis interdictum eſt proprium judicium in cauſis Eccleſiaſticis interponere *diſt. capit. decernimus*. Igitur nec ut laici procedere poſſunt. Nam reſpondeo, judicium *in d. c. decernimus*, non accipi pro ſenſu mentis, vel animi ſententia; ſed potius pro imperio, & juriſdictione, ut ibi repetentes communiter docent. Nec ultimum argumentum refragatur deductum *ex c. dilecti, c. expoſita, hoc tit.* Pro quorum expoſitione varia adducunt Interpretes. Aliqui enim affirmant, in dictis deciſionibus ſuſtineri compromiſſum in laicos factum, quia non ſuper rebus Eccleſiaſticis, ſed temporalibus factum fuerat, ſuper quibus etiam a clericis in laicos compromitti poteſt: docent Martha *de juriſdict. 4 part. centur. 1. caſu 40. n. 1.* Fermoſinus *in c. quanto, n. 3. de jud.* Sed hac ſolutione omiſſa dicendum eſt, *in d. c. expoſita*, ideo compromiſſum factum in laicos ſuſtineri, quia cum licentia, & auctoritate R. Pontificis factum fuit, ut conſtat ex illis verbis, *litteras noſtras*, & docet Balboa *in d. c. decernimus, nu. 154.* Etiam pro interpretatione textus *in d. c. dilecti*, dicendum eſt, illum procedere ante Concilii Lateran. conſtitutionem in præſenti relatam; cum enim, ut ſupra dixi, ante tempore Concilii Lateran. non eſſet prohibitum compromiſſum in laicos etiam ſuper rebus Eccleſiaſticis, ideo 5 Diſſolvitur dubitandi ratio.

in ejus

in ejus textus ſpecie compromiſſum non fuit improbatum: quo modo etiam intelligitur textus *in c. plures 54. 16. q. 1.* ubi cauſa Eccleſiaſtica compromittitur in populum, ubi laici erant; quod admittebatur ante tempora noſtri Concilii Lateranen.

6 Exponitur c. per tuas 9. hoc tit. Adhuc ſuperiori aſſertioni aperto marte opponitur textus *in c. per tuas 9. hoc tit.* ubi refertur ſuper hoſpitale S. Allucii compromiſſum factum fuiſſe ab Hoſpitalariis S. Joannis Hieroſolymit. Piſis commorantibus, & Plebano, hoc eſt Parocho de Piſis, in duos laicos, & unum Sacerdotem, qui arbitrium in cauſa dixerunt: ſed Hoſpitalarii litteras impetrarunt ad Conradum Archiepiſcopum Piſanum, ut arbitrium a ſupradictis compromiſſariis prolatum executioni mandaret: coram ipſo Plebanus propoſuit, arbitrium ſervandum non eſſe duplici ex cauſa. Prima, quia factum fuerat a procuratore non habente ad compromittendum ſpeciale mandatum, ſed tantum generale ad litigandum. Secunda, quia factum erat in laicos, cum ageretur de Hoſpitali, cujus cauſæ cognitio ad judices Eccleſiaſticos ſpectat, *cap. inter 8. de donationibus*, ubi alia cauſa ejuſdem Hoſpitalis coram Eccleſiaſtico judice diſceptatur. Conſultus ſuper his Innocentius III. decrevit, quod ſi tale compromiſſum receptum fuit a prædicto Plebano, executioni mandetur; ſi autem receptum non fuit, ſed tantum pœna promiſſa, ipſa ſolvatur; ſi vero nulla pœna ſtatuta fuit, tunc procuratorem ad intereſſe eſſe condemnandum; non autem compromiſſum vitiari ex eo, quod in laicos factum fuerit. Ex qua Innocentii decretali aperte deducitur, compromiſſum ſuper re ſpirituali in laicos factum vires habere. Difficultatem agnoverunt repetentes in eo textu, Balboa *in c. 2. n. 154. de judiciis*, qui affirmant ibi valere compromiſſum in laicos factum, quia non agebatur de re ſpirituali, ſed temporali; hoſpitale enim, niſi expreſſe a Pontifice in titulum beneficii erigatur, non eſt beneficium Eccleſiaſticum. Clement. 2. *de prabendis*, Selva *de beneficiis*, 3. *par. q.* 57. Corraſius *eod. tr. 1. part. c. 3. n. 1.* Quintanadvennas *l. 1. Eccleſiaſt. c. 1. n. 13.* Sed hæc ſolutio expreſſe refellitur *ex d. c. inter 8. de donat.* ubi cauſa ipſius Hoſpitalis diſceptatur coram judice Eccleſiaſtico: & ex eo, quia Hoſpitale plerumque beneficii Eccleſiaſtici nomine comprehenditur, *Clem. 2. §. ut autem, de relig. domib.* docent P. Greg. *de beneficiis c. 11. nu. 6.* Barboſa *l. 2. juris Eccleſ. c. 11.* Cæſar *de Eccleſiaſt. hierarc. diſp. 14. §. 4.* & nos *in cap. 3. de relig. domib.* Aliter difficultatem ipſius textus diſſolvere intendunt Decius, & Panormit. *in eo textu*, Covarr. *pract. q.* 34. aſſerendo in eo textu compromiſſum valuiſſe ratione ſocii, videlicet quia factum erat in unum clericum, & duos laicos, & ſic ex perſona clerici ſuſtineri compromiſſum, argumento textus *in c. quod in dubiis, de conſecr. Eccl. l. is qui duos, ff. de liberat. legat. l. liberis, §. ſi duos, ff. de liber. cauſa*, junctis traditis ab Anſaldo *de juriſd. 2. p. tit. 11. c. 21.* Sed hæc ſolutio rejicitur ex lege *Padius, §. fin. ff. hoc titul.* ubi aſſeritur compromiſſum factum in ſervum, & hominem liberum non valere, quia incapacitas ſervi non tollitur per ſocium liberum hominem. Accedit, nam cum forma compromiſſi ſit, ut omnes cognoſcant, & pronuntient, *l. non diſtinguemus 32. §. cum in plures, ff. hoc titul.* & forma actus ad unguem non ſervata, corruat actus *l. diligenter, ff. mandati*; & compromiſſum individuum ſit ratione formæ, ut probat Pichardus *in §. quod ſi quis, ex n. 13. Inſtitut. de inutil. ſtipul.* utile per inutile in præſenti caſu vitiatur, ut conſiderat Mocz *obſerv. juris c. 3.* His ergo ſolutionibus omiſſis, dicendum eſt veram rationem, quare compromiſſum in eo textu ſuſtinetur, aſſignari a Pontifice *in verſ. fin.* ſcilicet quia arbitri in ea ſpecie electi, & recepti fuerunt ex conſenſu, & auctoritate Archiepiſcopi Genuenſis A. S. L. Unde cum laici de rebus ſpiritualibus tantum propter indecentiam arbitrium dicere prohibeantur, ut ſupra dixi, & hæc ceſſet interveniente Pontificis, aut ejus Legati licentia, ut conſiderat Innoc. in eo textu; ideo ceſſante prohibitionis ratione, compromiſſum ſuſtinetur, & docent Barb. *t. 6. in ſelect. ad illum textum*, aliis relatis a Velaſco *de privil. miſerab. perſon. t. 3. q. 10. n. 37.*

7 Intelligitur c. examinata, de confirm. utili. Deinde præſenti conſtitutioni adverſatur textus *in c. examinata 7. de confirm. utili vel inutili*, ubi proponitur, controverſiam diſceptatam fuiſſe ſuper jurepatronatus cujuſdam Eccleſiæ inter nobilem virum Matthæum de Riparia, & quoſdam milites Campaniæ S. Joannis Hieroſolym. & cum ageretur judicio poſſeſſorio, ne fructus dilapidarentur, Eccleſia ſequeſtrata fuit penes Vicedominum Sabinenſem, in quem compromiſſum litigatores fecerunt: & cum arbitrum dixiſſet contra formam compromiſſi, ipſum nullius momenti eſſe Innocentius decrevit, non obſtante confirmatione Cæleſtini prædeceſſoris ſui. Unde iterum in cauſa proceſſum fuit, ut conſtat *ex c. examinata 15. de judiciis*, ubi extat poſterior pars ipſius decretalis. Ex dictis autem deducitur, etiam poſt Concilium Lateran. ſuper cauſis Eccleſiaſticis compromiſſum poſſe fieri in laicos; ſiquidem in illo caſu compromiſſum factum fuit in Vicedominum ſuper jurepatronatus, quod licet ſpirituale non ſit, tamen ſpiritualibus eſt annexum; unde ejus cognitio ad judicem Eccleſiaſticum ſpectat, *c. quanto 3. de judiciis*. Etiam difficilis eſt textus ille dum docet, adhuc ſecuta confirmatione Pontificis non firmari arbitrium ab arbitris prolatum; nam confirmatio R. Pontificis actum alias invalidum reddit, *c. 1. de tranſact. c. 1. de confirm. utili*: igitur ratione confirmationis Pontificiæ arbitrium in ea ſpecie ſuſtineri debebat. Primæ difficultati ſatisfaciendum eſt obſervando, Vicedominum in eo textu non ſignificare perſonam ſæcularem, imo potius importare Eccleſiaſticam. Vicedominus enim appellatur, qui vices gerit Epiſcopi, & ab eo præponitur cauſis Eccleſiaſticis pertractandis, de quo *in cap. volumus, cum ſeq. 89. diſt.* Concil. Mogunt. ſub Carolo, *can.* 50. & in capitular. Caroli Magni *libr. 5. c.* 120. qui in Diaconatus ordine erat conſtitutus, de cujus officio, & dignitate agunt Dartis *in d. c. volumus*, I. Fileſacus *in c. 4. de officio Ord.* Cujacius *in d. c. examinata*, Cironius *ad tit. de procurat.* & nos *in c. 38. de ſimon.* Alteſſera *differt. juri can. l. 2. c. 9. per tot.* Quare cum Vicedominus eſſet Diaconus, & judex Eccleſiaſticus, ideo compromiſſum in eum fieri potuit, licet arbitrium ab eo prolatum, quia contra formam compromiſſi dictum fuit, vires non habuit. Nec confirmatio Pontificis in ea ſpecie aliquid operatur, quia licet confirmatio ſpecialis ex certa ſcientia facta, actum alias invalidum, validum reddat; tamen confirmatio in forma communi nullum jus de novo tribuit, *c. quia, de conceſſ. prabenda*. Docent Suar. *l. 8. de legibus, c. 18. n. 8.* Cancerius *l. 1. var. c. 3. n. 177.* Balboa *in c. 2. de judiciis, nu. 159.* Alia dabimus pro ipſius textus interpretatione *in c. 3. de judiciis*.

C A P U T IX.

Idem a *Piſano Archiepiſcopo*.

PER tuas nobis litteras intimaſti, quod cum ſuper executione arbitrii, quod inter Hoſpitalarios S. Joannis, & Plebanum de Piſcia, ſuper hoſpitali S. *b* Allucii latum erat, a nobis litteras recepiſſes, partibus in tua præſentia conſtitutis, Hoſpitalarii a te *c* executionem arbitrii poſtulabant, aſſerentes illud debere obſervari pro eo, quod procurator Plebani *d* ſponte in arbitros *e* juramento interpoſito compromiſit, quoniam dicebat poteſtatem compromittendi, & tranſigendi ſuper eodem negotio recepiſſe. Plebanus item propoſuit ex adverſo, quod ad cauſam tractandam prædicto procuratori dedit generale mandatum, non tamen ei mandavit, ut ſine ſpeciali mandato ſuo compromittere poſſet, vel tranſigere ſuper eo: & præterea procurator jamdictus de aſſenſu Canonicorum non fuerat inſtitutus, & ideo dicebat id *f* arbitrium non valere, præſertim cum procurator mandati fines exceſſerit, & arbitrium fuerit per unum clericum, & duos laicos promulgatum, licet ipſi de aſſenſu v. f. n. *g* Januen. Archiepiſcopi, cui cauſa commiſſa fuerat, arbitrium protuliſſent. Unde cum ſuper his dubietas fuiſſet exorta, per Ap. Sed. oraculum edoceri petiiſti, qualiter ſuper negotio ipſo tibi ſit procedendum. Super quo f. t. t. r. quod in primis eſt, utrum arbitrium ipſum ex parte Plebani receptum fuerit, diſtinguendum. Si enim receptum fuerit indiſtincte ratum haberi debet, ac per hoc juxta tenorem mandati Apoſtolici executioni mandari. Si vero receptum non fuerit, refert utrum fuerit, vel non fuerit de obſervando ipſum pœna ſtatuta. Et quidem ſi pœna fuerit appoſita in compromiſſione, agi poteſt ad *h* pœnam: at ſi nulla pœna ſtatuta fuerit, ſed ſimpliciter ſtare ſententiæ fuit compromiſſum, procurator ad *i* intereſſe poterit conveniri; quia juramento ſuo ſeipſum perſonaliter, non Eccleſiam poterat obligare. Quod vero a duobus laicis, & *k* uno clerico dicitur eſſe latum, nequaquam obviare videtur; cum auctoritate dicti Epiſcopi factum ſit, cui cauſa, de qua dicitur compromiſſum, fuerat delegata.

N O T Æ.

1 a *Piſano.*) Ita etiam legitur in quarta collectione. *ſub hoc tit. c. 2.* Piſa nobilis, & antiqua civitas eſt Tuſciæ, Metropolis Corſicæ, Primatiaque Sardiniæ, cujus meminerunt Virgilius 10. *Æneidos*, Rutilius Numant. *l. 1. itiner.* Colonia fuit Romanorum, dicta Julia, ut probat Ughellius *t. 3. Italia ſacra, fol.* 388. & plura de ejus ſitu, & conditoribus cumulavit Coronel. *in notis ad Gongoram, t. 3 fol.* 450. Jam Epiſcopali Cathedra decorata erat per annum 313. quo tempore Gaudentius ejus urbis Epiſcopus ſubſcripſit Synodo Romanæ celebratæ ſub Melchiade. Urbanus ſecundus Archiepiſcopali dignitate eam decoravit, illiuſque Præſulem Primatem Corſicæ, atque Sardiniæ declaravit, ut referunt Ughellius *ubi ſupra*, Barboſa *de poteſt. Epiſc. tit. 3. c. 7.* hujus Eccleſiæ Archiepiſcopo Conrado dicto reſcribit in præſenti Innocentius.

2 b *Hoſpitali S. Allucii.*) Quod eſt in civitate Luca, prope Piſanam. Ejus mentio fit *in cap. inter 8. de donat.* ubi ſalvo jure hujus Plebani adjudicatum fuit monaſterium hoc Hoſpitalariis S. Sepulchri, de quibus in hoc textu.

c *A te*

c *A te executionem.*) Licet enim jure civili inſpecto non poſſit agi ad executionem arbitrii per arbitros prolati, ſed tantum ad pœnam; tamen ex jure canonico, & noſtro Regio arbitrorum ſententia executioni mandatur, ut probavi *in cap. 2. hoc tit.*

d *Sponte.*) Nam compromiſſum voluntarie debet fieri, ut probavi *in c. 1. hoc tit.*

e *Juramento.*) Jure enim canonico juramentum admittitur in compromiſſo, ut notavi *in c. 2. verbo Sacramentum, hoc tit.*

4 f *Arbitrium non valere.*) Procurator enim, qui tantum generale mandatum ad cauſam in judicio proſequendam habet, abſque ſpeciali compromiſſum facere nequit, ut vulgo in præſenti notatur, & probat Seſſe *t. 4. dec.* 431. Ratio in promptu eſt, nam cum compromiſſum ſit tranſactionis ſpecies, & procurator ſine ſpeciali mandato non poſſit tranſactionem facere, *l. tranſactionis, C. de tranſ.* pluribus relatis probat Valeron *de tranſact. tit. 4. q. 5. per totam*; ideo nec poteſt compromiſſum facere. Accedit, nam ea, quæ ſunt magni præjudicii, procurator ſine ſpeciali mandato peragere non valet, *c. qui ad agendum, de R. J. l. 6.* ſed per compromiſſum, magnum præjudicium domino irrogari poteſt: igitur ſine ſpeciali mandato procurator illud facere nequit: Sed ſi de facto procurator compromiſſum fecerit, ſuccedit diſtinctio ab Innoc. III. in præſenti adducta, videlicet quod ſi pœna, ut plerumque contingit, compromiſſo adjecta ſit, ad eam procurator tenetur; ſin autem adjecta non ſit, in id quod intereſt adverſario, condemnabitur, ut exponit Caniſius *in præſenti*. Quod ſi procurator habeat ſpeciale mandatum ad compromiſſum faciendum, non ſemel, ſed ſæpe ſæpius illud facere poteſt, ut pluribus relatis docet Fragoſo *d. diſp. 14. de arbitris, num.* 48.

g *Januen.*) Albinganenſis, tunc temporis Archiepiſcopi Januenſis, cui reſcribit idem Innoc. *l. 3. ep.* 158.

h *Poteſt ad pœnam.* Tantum videlicet, quia promiſſa non fuit rato manente compromiſſo, alias & pœna committeretur, & integrum maneret compromiſſum, juxta tradita *in c. 2. hoc tit.*

i *Ad intereſſe.*) Quia partes tenentur ad pœnam præſtandam, ſi adjecta ſit, etſi illorum nihil interſit; ſi vero pœna non apponatur, tantum ad intereſſe agi poteſt, ut notavi ſupra *in c. 2.*

k *Laicis, & uno clerico.*) Hæc verba expoſui in commentario antecedenti, *n. pen.*

C A P U T X.

Honorius III. *Archiepiſcopo* a *Colon.*

EX parte tua noſtris eſt auribus relatum, quod vacante Præpoſitura ſancti *b* Cutberti in Colonia, Canonici ejuſdem Eccleſiæ electioni die præfixa, de præficiendo ſibi Præpoſito diſcordantes, vota ſua diviſerunt in duos, quorum unum, videlicet Hermanum de Viliaco, Decanus & ſocii ſui: alii vero Conradum de Bobadia Colon. Canonicum nominarunt: cumque poſtmodum tractaturæ ſuper electione hujuſmodi partes eſſent in tua præſentia conſtitutæ, in te demum fide *c* præſtita compromittere *d* curaverunt, qui cauſæ meritis diligenter inſpectis, & cognitis, ad ferendam diffinitivam ſententiam diem ipſis conſentientibus *e* præfixiſti: interim vero præfato H. ab una parte electo, ſublato de medio, ſupradictis Canonicis inhibere curaſti, ne tua pendente ſententia procederetur ab ipſis ad aliam electionem faciendam: quorum quidam nihilominus Brunum de Abech, Colonienſem Canonicum elegerunt. Die ergo, quo proferri ſententia debuit conſtitutis in tua præſentia partibus, & præfato C. ut diffinitivam proferres ſententiam poſtulante, dictus Brunus e contrario allegavit, quod procedere ulterius non deberes. Quapropter quid a te ſuper hoc eſſet agendum, edoceri a nobis humiliter poſtulaſti. Ad quod tibi breviter reſpondemus, quod licet arbitrium ſit finitum per mortem ipſius H. prius tamen de *f* primæ electionis meritis debuiſti cognoſcere, quam proceſſus fieret ad ſententiam: nam ſi forte prædictus C. qui eſt ſuperſtes, in electione jus habet, de qua compromiſſio facta fuit in te, electionem factam de ſecundo conſtat penitus non valere.

N O T Æ.

1 a *Colonienſi.*) Engelberto videlicet, qui Eccleſiæ Colonienſi præfuit ab anno 1216. uſque ad annum 1225. quo occiſus fuit a nepote ſuo, ut ex Rubeo, & Surio refert Cironius *in 5. compil. in c. 1. de corpore vitiatis*. De Eccleſia Colonienſi aliqua adduxi *in c. ad aures, de ætate & qualit.* & textum hunc tranſcribo ex quinta compilatione, ubi ſub hoc titulo capite primo reperitur.

2 b *S. Cutberti.* Ita legitur in 5. compil. ſed male, legendum enim eſt S. Cuniberti, ut legitur apud Raymundum. Coloniæ enim extra muros eſt Eccleſia Collegialis dicata S. Cuniberto, qui fuit Præſul ipſius Eccleſiæ Colonienſis.

c *Fide præſtita.*) Quæ pro juramento habetur, ut probavi *in c. ad aures, de his quæ vi.*

d *Compromittere.*) Poteſt enim compromiſſum fieri, non ſolum ad electionem faciendam ut probavi, *in c. 3. de electione*; verum & ſuper jure electionis jam factæ, *c. cum olim 7. hoc tit.* imo & ſuper Eccleſia jam obtenta, *c. 2. hoc tit.* 3

e *Præfixiſti.*) Cum enim dies a compromiſſariis adjectus non eſt arbitrio dicendo, poteſt præfiniri ab arbitris, *l. ſed ſi 14. ff. hoc tit.*

f *De primæ electionis.*) Prima enim electione non caſſata, procedi non poteſt ad ſecundam, ex ratione textus, junctis ibi adductis *in c. conſiderabimus, de electione*. Unde in præſenti caſu prohibere potuit Archiepiſcopus, ne ad ſecundam electionem procederetur, prima pendente. 4

C A P U T XI.

Idem *electo, & Abbati S.* a *Zenonis, & Conſtantino Canonico Veron.*

EXpoſita nobis dilecti filii O. *b* Feltren. & *c*. Bellunen. electi petitio continebat, quod cum cauſam, quæ inter quondam bonæ memoriæ anteceſſorem ſuum ex una parte, & cives *d* Tarviſinos ex altera, ſuper diſtrictu, & juriſdictione, ac rebus aliis vertebatur, per ſententiam ven. f. noſtri *e* Oſtienſis Epiſcopi, tunc Apoſtolicæ Sedis Legati, fuerit terminata, & ipſius anteceſſor electi adjudicata ſibi per Legatum eumdem diu pacifice poſſediſſet; ipſe nihilominus tandem de Capitulorum ſuorum aſſenſu in præjudicium Eccleſiarum ſuarum ſuper quibuſdam diſcordiis, quæ hinc inde videbantur exortæ in nobilem virum *f* Ducem Venetorum, tamquam in arbitrum, cum altera parte compromiſit, qui veniens contra eamdem ſententiam auctoritate Apoſtolica confirmatam, ſuper rebus judicatis ab eodem Legato adverſus prædictas Eccleſias, æquitate poſtpoſita, iniquum arbitrium promulgavit. Licet autem eidem Duci litteras noſtras miſerimus, ut ad componendum inter partes laborare deberet, cum tamen intentionis veſtræ non fuerit immutare ipſam ſententiam, vel ſopitas per eam querimonias ſuſcitare, diſcr. veſtræ mandamus, quatenus præfatis litteris non obſtantibus, quidquid per prænominatum Ducem contra ipſius Legati ſententiam inveneritis eſſe factum, in irritum revocetis, ei diſtrictius inhibentes, ne ulterius in compromiſſo procedat, & eumdem ad reſtitutionem *g* obſidum, & cujuſdam caſtri, occaſione ipſius compromiſſi ſibi datorum, ut ipſius arbitrium ſervaretur, per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita *h* compellatis.

N O T Æ.

1 a *Sancti Zenonis.*) Veronæ eſt nobile, & ditiſſimum monaſterium Ordinis Divi Benedicti, a Pipino Rege conſtructum, & ample dotatum in honorem Sancti Zenonis Veronenſis Præſulis: in quo ſepultus fuit ipſe Pipinus, ut refert Yepes *t. 3. chron. D. Benedict. centur. 4. pag.* 279.

2 b *Feltrenſis.*) Feltra celebris civitas eſt in Alpibus: habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Patriarchæ Aquilejenſis, qui Primas totius Venetiæ, & ditionis eſt. Paulus Diaconus *l. 2. c. 14.* Venetiæ Aquileja civitas caput extitit. Leo IX. *ep. 2.* „ Judicio totius Sanctæ Synodi diffinitum fuit, ut nova Aquileja totius Venetiæ, & Iſtriæ caput, & Metropolis „ perpetuo haberetur." ut notavit Philippus Berterius *diatriba 2. pag.* 181.

c *Bellunen.*) Vulgo dicta civitas *di Bellun*, quæ paret etiam Patriarchæ Aquilejenſi.

d *Tarviſinos.*) De quibus nonnulla adduxi *in c. 7. de conſt.* 3

e *Hoſtienſis Epiſcopi.*) Hugolini videlicet de Signia, qui ex Diacono Cardinali tituli S. Euſtachii ab Innocentio III. in Epiſcopum Oſtienſem electus fuit anno 1206. & poſt trepidas legationes, implicitaque expedita negotia, ad Apoſtolicæ Sedis faſtigium provectus fuit anno 1227. Gregorius IX. feliciſſimo omine appellatus.

f *Ducem Venetorum.*) Petrum videlicet Deciani dictum, qui electus fuit anno 1205. ut refert Laurentius Juſtinianus *l. 2. hiſtoria Venet. c. fin.*

g *Obſidum.*) Licet homines liberi pignori dari non poſſint, *c. 2.* ubi plura dabimus, *de pignoribus*; tamen in obſtagium 4

defi-

deſignari poſſunt, *c. ex reſcripto, de jurejurand. c. ut pridem* 23. *q. ult.* quod jus, & conditionem obſidum late exponunt Div. Joſephus Vela *t. 2. diſert.* 35 *n.* 125. Cironius *ad titulum de feudis*, & *in d. c. ex reſcript.* Caldeira *l. 1. de error. c.* 9. Anguianus *l.* 3. *controv. c.* 25. Petrus Herodius *l.* 3. *Pandect. tit.* 4. *c.* 5. Grotius *de jure belli, l. 1. c.* 26. Alber. Gentil. *l.* 2. *eodem tr. c.* 19.

h *Compellaris.*) Sed adhuc hæc controverſia deciſa non fuit; ſiquidem Joannes Andreas *in notis ad Speculat. tit. de arbitris*, §. 1. refert ſuis temporibus inſtauratam fuiſſe litem hanc.

COMMENTARIUM.

CErtum eſt, compromiſſum fieri non poſſe ſuper cauſa jam judicis ſententia deciſa, aut dubiis ex ea provenientibus, quæ poſſint ſententiam ipſam evertere, *leg. cum fideicommiſſum 7. de confeſſis l. eleganter, ff. de condictione indebiti, l. poſt rem, ff. de tranſactionibus, lib. ſi duobus, ff. de except. rei judic.* Docent Petrus Gregorius *l.* 5. *partit. tit.* 4. *c.* 3. Hunnius *ad Treutl. volum.* 1. *diſp.* 12. *q.* 29. Borellus *de compromiſſis*, §. 2. *gloſſa* 1. *n.* 154. Capycius Latto *deciſ.* 33. Faber *in ſuo Codice, tit. de arbitris, diffinit.* 9. Cancerius *l.* 3. *var. c.* 17. *n.* 3. Valeron *de tranſact. tit.* 2. *c.* 4. *nu.* 10. Intereſt enim Reipublicæ lites ſemel judicis ſententia deciſas non ſuſcitari. Unde ſuper re judicata tranſactio non admittitur, *l. ſi cauſa, C. de tranſact.* Accedit quia poſt rem judicatam, ſi de interpretatione ſententiæ agatur, qui eam protulit, debet explicare, *c. inter alia, de ſententia excomm. c. ſicut, §. ex his* 11. *q.* 1. *leg. fin. C. de legibus.* Palladorius *l.* 2. *rerum quotid. c. fin. fin.* §. 3. Si autem dubium emergat, an ſententia prolata ſit, vel reſtitutio in integrum adverſus eam petatur, tunc compromiſſum fieri poteſt, vel ſi partes ſententiæ renuntiaverint: quas cauſas approbavit jus noſtrum Hiſpanum, jus autem commune omnino abrogavit *in libr.* 4. *titul.* 41. *libr.* 4. *recopil.* ubi recte notavit Azevedus *num.* 23. illa lege non permitti ſuper re judicata compromiſſum fieri abſolute, ſed tantum in prædictis caſibus. Quibus animadverſis apparet vera ratio præſentis deciſionis; nam cum Dux Venetiæ arbiter receptus in præſenti caſu, non ſolum ſuper controverſiis noviter emergentibus, verum & ſuper rebus jam ſententia Epiſcopi Hoſtienſis deciſis arbitrium dixiſset, recte Honorius III. decrevit pro illis rebus, quæ jam legitime judicis ſententia deciſæ erant, vires non habere: docuit P. Greg. *d. tit.* 4. *cap.* 3.

C A P U T XII.

Gregorius IX. *Decano, & Magiſtro P. Canonico S. Petri Atrebatenſis diœceſis*,

INnotuit nobis, Guillelmo laico *b* conquerente, quod cum O. laicus ipſum ſuper quadam ſumma pecuniæ coram judicibus auctoritate Apoſtolica conveniſset, tandem fuit a parentibus in duos arbitros compromiſſum, ſic tamen, quod ſi illi duo ad invicem diſcordarent, tertium adderent judices nominati, retenta penes ſe compellendi partes ad obſervandum arbitrium per dictos arbitros promulgandum, nihilominus poteſtate. Cumque tertius arbiter a judicibus prædictis electus, cum altero duorum ipſum parti alteri condemnaſset, idem ex eo ſentiens a ſæpedictis judicibus ſe gravari, quod ipſum ad obſervantiam hujuſmodi arbitrii compellebant, noſtram appellavit audientiam: ſed ipſi appellatione contempta, excommunicationis tulerunt ſententiam in eumdem. Ideoque mandamus, quatenus ſi eſt ita, cum legali ſit proviſione ſtatutum, ut compromiſſum de incerta perſona per arbitrium adſumenda non teneat, dictam excommunicationis ſententiam denuntietis penitus nullam eſſe.

N O T Æ.

1 a A*Trebatenſi.*) Atrebatum Metropolis Arteſia, olim Nementaſum dicta, ut notavit Bucherus *in Belgic. Rom. l. 1. c.* 3. eſt urbs Epiſcopalis Galliæ, de cujus ſitu plura adduxerunt fratres Sarmatani *t.* 2. *Galliæ Chriſt. fol.* 212. Et licet ejus Cathedra fuiſſet aliquando Epiſcopatui Cameracenſi unita, tamen Urbanus II. proprium Prælatum illi præfecit in Concilio Claromont. anno 1194. ut teſtantur Mireus *in factis Belgicis*, Cironius *in c. ult. de reſcript. in 5. compil.* Urbani verba referunt fratres Sarmat. *ubi ſupra*. Pontio ejus Eccleſiæ Præſuli miſſa eſt præſens Decretalis.

b *Laico conquerente.*) Cum laici ſuper cauſa temporali mere conveniri non poſſint coram judice eccleſiaſtico, *c. novit*, cum vulgatis, *de judiciis*; ſupponendum eſt in præſenti agi de dote, cujus cauſa incidenter tractari debet coram judice eccleſiaſtico ſimul cum matrimonio, *c. nuper, cap. de prudentia, de donat. inter*, ut vult Butrius *in præſenti*, *n.* 5. vel contractum juratum eſſe, ut ſupponit Hoſtienſis *in præſenti*.

Commentarium hujus textus dedi *in c. 1. hoc tit.*

C A P U T XIII.

Idem *Abbatiſſæ, & Conventui a Jotren.*

CUm a nobis petitur. *Et infra:* Ex parte veſtra fuit propoſitum, quod olim inter vos, & Senon. *b* Archiepiſcopum quæſtione ſuborta ſuper eo, quod idem Archiepiſcopus adſerens monaſterium veſtrum metropolitico jure ſibi ſubeſse, *c* procurationes & res alias exigebat a vobis. Tandem in R. *d* Sancti *e* Angeli Diacon. Cardin. tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum a partibus concorditer compromiſſo, & promiſso ſub certa pœna, quod arbitrio, ſeu ordinationi ejuſdem, vel duorum mediatorum, quos idem ſuper hoc deputaret, præciſe parerent, Magiſter P. Capellanus noſter, & I. Archidiaconus Senon. mediatores ab eodem ſuper hoc deputati a Legato, ordinando, & definiendo cauſam hujuſmodi terminaverunt. Nos igitur quod per prædictos mediatores ſuper hoc actum eſt, auctoritate Apoſtolica confirmamus.

N O T Æ.

1 a J*Otren.*) In Diœceſi Meldenſi eſt monialium monaſterium Ordinis D. Benedicti, quod conſtruxit Audeonus Rhotomagenſis Archiep. ut referunt Aimonius *l.* 4. *hiſtoriæ Franc. c.* 41. Vvilhelmus Nanguiſius *in chronographia*, Chopinus *l. 1. monaſtic. tit.* 2. *n.* 19. fratres Sarmatani *t.* 4. *Galliæ, fol.* 540. Immediate paret R. Sedi, ut conſtat *ex c. ex par.* 1. *de privil.* & probat Chopinus *ubi ſupra*.

b *Archiepiſcopum.*) Petrum videlicet de Corbolio, de quo, & Eccleſia Senonenſi egi *in c. 1. de poſt. Prælat. c. 6. de conſtitut.*

c *Procurationes.* De quibus agemus, Deo volente, *in c. cum Apoſtolus, de cenſibus*.

d *R.*) Romanum videlicet Cardinalem tituli S. Angeli, qui Legatus miſsus fuerat per totam Galliam, ut Regni Proceres contra Albigenſes moveret, ut refert Spondanus poſt Baronium *anno* 1227. *n.* 11. 2

e *S. Angeli.*) Titulus S. Angeli in foro Piſcario eſt unus ex quatuordecim Diaconis perantiquis, ut refert Cohelius *in notitia Cardin. c.* 2. Quæ ad hunc textum ſpectant, adduxi ſupra *in c.* 1. 3

C A P U T XIV.

a Idem.

COmpromiſſum non extenditur in compromittentis heredes, ſi de ipſis non caveatur ibidem.

N O T Æ.

a I*Dem.*) Gregorius videlicet IX. qui motu proprio, a nemine conſultus, præſentem edidit conſtitutionem utriuſque juris principiis valde conſonam.

COMMENTARIUM.

IN præſenti textu ſequens communiter examinatur aſſertio: „ Morte arbitrorum, aut uno eorum, ſeu decedentibus litigatoribus, unove eorum, finitur compromiſſum, nec ad „ heredes compromittentium tranſit, niſi aliter in compromiſso caveatur. “ Probant eam textus *in c. ex parte 10. hoc titulo, c. uno 42. de officio deleg. c. præſentata 40. de teſtibus, l. diem* 1 Concluſio traditur, & probatur.

27. §. 1. *leg. in compromiſſi* 45. *leg. ſed ſi interpellat* 47. *leg. arbiter* 49. *ff. hoc tit. leg. fen. C. de pedaneis, leg. Pædius, C. de judiciis, leg.* 28. *tit.* 4. *partit.* 3. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Covarr. *in c. requiſiſti, n.* 8. *de teſt.* Seſse *de inhibit. c.* 2. §. 2. *n.* 35. P. Barb. *in leg. heres, n.* 30. *ff. de judiciis*, Duarenus *ad tit. de novi operis nunt. §. morte*, Maranta *de ordine judic.* 4. *part. diſp.* 33. Valentia *t.* 3. *illuſtr. tr.* 1. *c.* 2. *n.* 8. Pinellus *l.* 2. *ſelect. c.* 6. *n.* 23. Valenzuela *conſil.* 107. *n.* 9. Cabreros *de metu, l.* 2. *c.* 22. *n.* 22. Petrus Greg. *l.* 5. *part. tit.* 4. *c.* 7. Gomez *in leg.* 38 *Tauri, n* 4. Balboa *in c. quia, de judiciis, n.* 80. Fermoſinus *in eodem textu, q.* 1. *n.* 31. & *in c. fin. de foro compet. q.* 9. *n.* 16. Nicolaus Vand. *ſingulari* 54.

2 Exponitur dicta aſſertio. Sed hæc aſserio ita illuſtrata labefactari videtur ſequentibus conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo, nam omnes contractus, & obligationes ex eis provenientes, tranſeunt in heredes qui defunctorum vices ſuſtinent, & perſonas repræſentant, in quorum jura, tam activa, quam paſſiva ſuccedunt, *l. cum heres* 11. *ff. de diverſis, & temporal. leg. 1. C. ſi certum petatur, leg. ult. C. de hereditariis actioni.* ſed compromiſſum eſt contractus, *authentic. ſi vero, C. de judiciis*: igitur compromiſſi obligatio ad heredes compromittentium tranſit. Augetur hæc difficultas primo ex eo; nam arbitria redacta ſunt ad inſtar judiciorum, *leg. 1. ff. hoc titul.* ſed judicia ſemel cœpta ex quacumque cauſa in heredes tranſeunt, *c. quia, de judiciis, l. heres* 19. *ff. eodem tit.* igitur & compromiſſum ſemel factum ad heredes tranſire debet. Secundo augetur hæc difficultas; nam in dubio, cum pactum, ſeu contractus celebratur inter aliquos, non ſolum pro ſe ipſis, verum & pro heredibus contraxiſſe creditur, *leg. ſi pactum 9. ff. de pactis*, Pinellus *l.* 2. *ſelect. c.* 62. Deſiderius Heraldus *l.* 2. *rei judic. c.* 18. igitur in ſtipulatione ex cauſa compromiſſi interpoſita non ſolum pro compromittentibus, verum & pro ipſorum heredibus factum compromiſſum præſumitur. Secunda difficultas militat adverſus aliam partem hujus aſſertionis, ubi affirmatur, ad compromittentium heredes tranſire compromiſſum, ſi de ipſis expreſſe caveatur in eo: nam etſi expreſſe agatur, ut ad compromittentium unius heredem tranſeat compromiſſum, eodem modo ſolvitur, ac ſi nec utriuſque heredis mentio facta ſit, *leg. ſed ſi* 49. §. *ult. ff. hoc tit.* igitur non ſufficit, ut compromiſſum tranſeat ad heredes, quod de ipſis in eo expreſſe caveatur. Tertio difficilis etiam eſt prædicta aſſertio, dum docet, mortuo uno ex arbitris finiri compromiſſum; nam mors, & abſentia æquiparantur, *c. ſi delegatus, de officio deleg. in 6.* Sed uno ex arbitris abſente, non finitur compromiſſum, ſed ceteri ſententiam dicant, *c. fin. hoc tit. in 6.* igitur & uno defuncto, alii arbitrium proferre valent.

3 Quibus modis finitur compromiſſum. Quibus difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens conſtitutio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, compromiſſum rite factum variis modis finiri. Primo enim compromiſſum ſolvitur, ſi ingrediatur religionem arbiter, vel unus ex compromittentibus, Baptiſta *de arbitris q.* 53. monaſterium enim licet habeatur loco heredis, *c. in præſentia, de prob.* quia tamen heres non ſuccedit in compromiſſo, ita nec monaſterium. Etiam morte civili finitur compromiſſum. Duennas *regul.* 128. *ampliat.* 4. Item ſi bona compromittentis publicentur: cum enim fiſcum habeat heredem, *leg. inter, eo, §. fin. ff. de fidejuſſ. leg. quotiens, ff. de novat.* fiſcus ut heres non ſuccedit in compromiſſo. Et cum ipſe litigator non habeat bona, ex quibus ſolvat pœnam, neceſſe eſt per publicationem bonorum ſolvi compromiſſum. Etiam finitur ſi aliquis ex compromittentibus bonis ceſſerit, *leg. item ſi unus* 27. *ff. hoc tit.* ubi Cujacius *l.* 4. *ff. Juliani*, Faber *in ejus rationali*, Duarenus *ad hunc titulum, c.* 1. licet enim compromittens ipſo jure obligetur ex compromiſſo, ſicut ex aliis obligationibus, ita ut ſummo jure conveniri poſſit, etiamſi bonis ceſſerit; tamen quia inanis eſt actio, quæ per exceptionem eliditur, *leg. nam is 6. ff. de dolo, l. 3. C. de bonis auctorit. judiciis, §. ult. Inſtitut. de replic.* ideo per ceſſionem bonorum finitur compromiſſum, nec arbitri arbitrium dicere coguntur.

4 Finitur prolatione ſententiæ. Etiam finitur compromiſſum poſtquam arbitri diffinitive arbitrium dixerunt, *leg. qualem* 19. *ff. hoc tit.* licet enim Magiſtratus ordinarii etiam poſtquam ſententiam protulerunt, maneant judices; ſiquidem eam executioni mandare poſſunt, ut probant Donellus *l.* 17. *comment.* 3. *c.* ubi Oſualdus *litt.* G, Duarenus *in leg. quod juſſit* 14. *ff. de re judic.* & ideo apud ipſos peti poteſt in integrum reſtitutio, *leg. Præſes* 42. *ff. de minoribus*, & ipſi de nullitate ſententiæ cognoſcere valeant, *l. 1. C. de ſententiis, l. ſi pro ſe 6. C. quomodo, & quando, l. 4. C. de accuſat.* Morla *in empor. tit.* 2. *q.* 7. *n.* 28. tamen judices dati a Prætore ex conſenſu partium ſententiam ſemel dictam mutare non poterant, quia adhuc judices non remanebant, *leg. judex* 55. *ff. de re judic.* Seneca *in controv. Sæpe judex, quam tulit reo tabellam, revocare non poteſt.* Apulejus *l. 1. florid. Sententia ſemel lecta, nec augeri littera una, nec minui poteſt.* Et ſicut judices dati ſententiam interlocutoriam mutare poterant, *d. l. quod juſſit* 14. ita & arbitri. Unde ſi arbiter juſserit litigatores Kalendis coram ſe adeſſe, poteſt poſtea jubere, ut Idibus adſint, & mutare ſententiam, *l. quod autem, §. unde, ff. hoc tit.* ubi Cujacius *l.* 13. *Pauli ad editum*, & idem *t.* 2. *controv. c.* 348. *n.* 2. Oſualdus *l.* 21. *ad Donel. c.* 23. *litt.* G. Sed ſi ſuper pluribus cauſis arbitri recipiantur, quia omnes controverſiæ ab eo ſunt decidendæ, *l. 3. C. Theodoſ. de ſententiis ex periculo*, ſi ſuper una tantum arbitrium dixerunt, poterunt in aliis procedere. *l. qui tantum* 25. *ff. hoc tit.* Felinus & Balboa congeſti a Fermoſino *in c. fin. de ordine cogn. q.* 11. *n.* 7. Similiter ſi pœna adjecta in compromiſſo committatur ex aliquo caſu, finitur compromiſſum, *l. ſi duo, leg. non diſtinguemus, §. 1. ff. hoc tit.* niſi expreſſe actum ſit, ut ſæpe ſæpius ex diverſis cauſis committatur, *lib. ſi duo* 34. *§. ſemel, ff. hoc tit.* quo modo accipiendus eſt textus *in leg. non ex omnibus* 39. *ff. hoc tit.* ubi aſſeritur, poſſe puniri contumaciam rei, & poſtea proferri ſententiam, & ſic pœna commiſſa ex contumaciæ cauſa non finitur compromiſſum, quia ſupponendum eſt, in ea ſpecie actum fuiſſe inter compromittentes, ut ſæpius pœna committeretur: docuit Cujacius *l.* 13. *Pauli ad edictum in d. leg. ſi duo*, & *ad titulum C. de edendo*. Etiam finitur compromiſſum, ſi res, de qua lis vertebatur, perierit, quia perempta re, lis finitur, niſi adhuc litigantium interſit arbitrium proferri, *dict. l. non diſtinguemus, §. item* 5. quandoque enim perempta re ſupereſt controverſia de fructibus, quæ per arbitros decidenda eſt, *leg. utique, ff. de R. V.* Finitur etiam compromiſſum, ſi ſuper ipſa controverſia partes in judicio comparuerint, *l. ſed ſi ſervum 9. §. fin.* cum legibus ſequentibus, *l. ſi quis rem* 30. *ff. hoc tit.* ubi difficilia ſunt illa verba, *apud judicem ſuo ordine peragenda*; quæ varie exponunt Cujacius *l.* 13. *ad edictum Pauli*, ibi, Antonius Theſaurus *deciſ.* 14. *Pedemont.* Fachineus *l.* 3. *controv. c.* 94. Faber *in ejus textus ration.* Item acceptilatione, aut pacto in contrarium celebrato, *d. leg. non diſtinguemus, §. ſumma rei*, & *§. item non eſt*; nihil enim tam naturale eſt, quam eo genere quidquid diſſolvi, quo colligatum eſt, *c. 1. de R. J.* ergo ſi compromiſſum ſtipulatione, aut pacto irritum ſit, acceptilatione, aut pacto in contrarium facto finitur.

Etiam compromiſſum finitur alio modo, videlicet temporis lapſu; compromiſſum enim ſolet fieri aut cum temporis præfinitione, aut ſine temporis adjectione. Si tempus præfinitum non ſit arbitrio dicendo, finitur compromiſſum triennio; & hoc jure communi ſtatutum fuiſſe teſtatur lex 233. ſtyli, & diſpoſuit Alfonſus noſter *in l.* 27. *tit.* 4. *part.* 3. quia cum arbitria redacta ſint ad inſtar judiciorum, *l. 1. ff. hoc tit.* & judicii inſtantia triennio finiatur, *l. properandum, C. de judiciis*, late probavi *in c. de cauſis 4. de officio deleg.* ideo arbitrorum poteſtas ſimiliter triennio finitur, ſi nullum tempus in compromiſſo adjectum ſit. Docent Gregorius Lopez *in dict. l.* 27. *partitæ*, Paz *in d. l.* 233. *Styli*, Azebedus *in l.* 4. *tit.* 21. *li.* 4. *recopil.* quod triennium computari debet a die litis conteſtatæ coram arbitris. Si vero in compromiſſo certum tempus præfinitum ſit arbitrio dicendo, niſi intra illud ſententia proferatur, finitur compromiſſum, *l. ſi cum dies* 22. *l. arbiter* 50. *ff. hoc tit. dicta l.* 27. *p. dict. l.* 4. *recopil.* niſi a partibus tempus prorogetur. Unde ſupereſt ut videamus, utrum arbitri per ſe, vel compromittentes ſine arbitris poſſint diem in compromiſſo præſcriptum prorogare, ſeu referre, ideſt in proximiorem revocare, ſeu anticipare. Et quoad arbitros certum eſt, eos per ſe tantum non poſſe tempus prorogare, aut referre, *l. non diſtinguemus, §. de eo, l. arbiter* 50. *ff. hoc titul.* eſt enim hoc novum compromiſſum, quod ex prorogatione temporis fit. Unde ſicut in primo conſenſus partium deſideratur, ita & in hoc ſecundo adeſſe debet, niſi in compromiſſo caveatur ut dies poſſit proferri; tunc enim invitis etiam compromittentibus poterit prorogari, *l. Labeo* 23. *§. hoc, l. diem, §. 5. l. non diſtinguemus, §. ult. ff. hoc tit.* nec opus eſt tempus prorogari ſententia dicta; per nuntium enim prorogari poteſt, *l. diem* 27. *hoc tit.* quia quæ conſenſum nudum requirunt, per epiſtolam, aut nuntium expediri valent, *l. 1. §. ult. ff. de contrahend. emptione*: virtute tamen hujus clauſulæ de prorogando die compromiſſi, non poteſt arbiter diem referre, *l. arbiter* 33. *ff. hoc tit.* quia ferendum non eſt, quicquam immutari ex compromiſſo, aut illud alterare, *l. ſed ſi in ſervum 9. §. penul. ff. hoc tit.* Nec hucuſque traditis obſtat textus *in dict. l. non diſtinguemus, §. dies*, in illis verbis: „ Dies „ compromiſſi proferri poteſt, non cum ex conventione, ſed „ cum juſſu arbitri eam proferre neceſſe eſt, ne pœna com„ mittatur. “ Ubi videtur ſupponi, non ſufficere partium conventionem tempore compromiſſi factam, ut arbiter poſſit diem proferre; nam in eo textu agitur de pœna committenda a litigatore, qui poſt conventionem in compromiſſo factam, ut arbiter poſſit proferre diem, renuit ne illum proferret. Et aſſerit Conſultus, quod ſi poſt dictam conventionem, antequam neceſſe ſit diem proferre, eam protulerit, & unus ex litigatoribus contradixerit, non committitur pœna; ſed ſi contradixerit, poſtquam ex neceſſitate arbiter diem prorogaverit, tunc committitur pœna, & alteri ex litigatoribus acquiritur, & ſi ambo contradixerint, pœna non committitur, quia non eſt cui applicetur, *l. arbiter Kalen.* 40. *ff. hoc tit.* Similiter etiam compromittentes per ſe non poſſunt tempus in compromiſſo adjectum prorogare, renuente arbitro, ut ipſe cogatur ſententiam dicere; eo autem conſentiente, poterit dies proferri, *l. Pomponius* 13. *§. ult. l. quid tamen, §. 5. ff. hoc tit.* ſicut enim primum compromiſſum recipere arbiter cogi non poterat, *d. l. Pomponius, §. recepiſſe*: ita nec ſecundum abſque nova voluntate recipere compellitur. Similiter etiam unus ex compromittentibus abſque alio compromiſſi diem nequit prorogare, *d. l. arbiter* 33. Cujacius *lib.* 13. *Pauli ad edictum, in l.* 12. *ff. hoc tit.* ſicut enim unus ex litigatoribus ſine alio non poteſt prorogare juriſdictionem judicis incompetentis, *l. 1. ff. de officio ejus, l. 5. ff. de officio Proconſulis*; ita neque arbitri poteſtatem ſine alterius conſenſu prorogare valent, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, contra regulam *non debet* 74. *ff. de R. J.* quæ regula ſi conjungatur cum dicta lege *arbiter*, quæ eſt ejuſdem Papiniani, & *in eodem*

5 Finitur temporis lapſu.

dem libr. 1. pertinet ad hunc caſum prorogationis temporis compromiſſi, ut animadvertunt Cujacius *in d. l. arbiter*, Jacob. Gothofredus *in d. regula non debet* 74.

6 Traditur ratio decidendi. Præcipuus autem modus, quo finitur compromiſſum, contingit morte arbitrorum, & compromittentium, juxta præſentem deciſionem, cujus vera ratio provenit ex eo: nam compromiſſum eſt ſtricti juris; quare non extenditur de caſu ad caſum, nec de perſona ad perſonam in compromiſſo non comprehenſam, *c. dilecti, hoc tit. d. l. non diſtinguemus*, *§. ex officio*. Cum enim arbitri nullam aliam habeant poteſtatem, niſi quæ ſibi a compromittentibus data eſt, & quatenus data eſt, *l. arbiter* 50. *ff. hoc tit.* & compromiſſo tantum cautum ſit, ut ipſi arbitri inter compromittentes arbitrium dicant; non poteſt compromiſſum tranſire ad arbitrorum, vel compromittentium heredes. Accedit, quia pœna promiſſa in ipſo compromiſſo, non poterit committi ab ipſorum heredibus, ex perſona defunctorum, cum defuncti non ipſi ſententiæ parere teneantur, *l. a teſtatore* 109. *l. qui Romæ* 122. *§. Agerius*, *ff. de V. O.* Alia etiam ſpecialis ratio ex natura compromiſſi provenit; frequenter enim compromittitur in amicos, ut eorum ſententiæ facilius pareatur: quæ ratio ceſſat in heredibus arbitrorum, & compromittentium. Unde non debet tranſire compromiſſum ad heredes, ſicut ob eamdem rationem executoris teſtamenti officium ad heredes non tranſit, *c. fin. de teſtam. l.* 6. docet Carpio *de executoribus*, *l.* 3. *c.* 2. ſed ſi heredum mentio facta ſit ex conſenſu compromittentium, tranſit compromiſſum ad heredes, quia de ejus natura non eſt, ut ad heredes tranſire non poſſit: docet Pinellus *l.* 2. *ſelect. c.* 6. *n.* 23. Notandum autem eſt diſcrimen, quod datur inter heredes arbitrorum, & compromittentium; nam ad heredes arbitrorum nec virtute conventionis tranſire poteſt compromiſſum, cum electa ſit eorum induſtria, quæ in ipſorum ſucceſſoribus non conſideratur, argumento textus *in c. fin. de officio ordin.* quæ ratio cum non militet in heredibus compromittentium, ad eos virtute conventionis tranſire poteſt compromiſſum. Nec novum eſt, ut ratione ſpecialis cautionis tranſeat ad heredes, quod alias morte ſuorum auctorum extingueretur, *l. antiquit. ff. de uſufructu*.

7 Diſſolvitur prima difficultas. Nec prima difficultas ſupra perpenſa adverſatur; licet enim omnes fere obligationes in heredes dentur, ſunt tamen aliqui contractus, ex quorum natura provenit, ut obligatio in heredes non tranſeat, ut de mandato, & ſocietate probavi *in capitul. licet, de offic. delegat.* quare cum compromiſſum, etſi non natura ſua, ex ſpeciali tamen ratione, quam ſupra aſſignavimus, morte compromittentium finiatur, ideo non tranſit ad heredes. Nec primum argumentum refragatur, quia non in omnibus, & per omnia arbitria redacta ſunt ad inſtar judiciorum, ut ſæpe ſæpius in hoc titulo notavi: plures enim differentiæ inter arbitria, & judicia dantur, inter quas illa præcipua verſatur, quod judicia ſemel cœpta ad heredes tranſeunt, non autem arbitria. Differentiæ ratio ex eo provenit, quod arbitria ſint perſonalia, & ſtricti juris: unde extendi non poſſunt ad perſonas in compromiſſo non comprehenſas. Accedit, quia judicia inter invitos exercentur, *lib. inter ſtipulantem*, *§. ſi Sthicum*, *ff. de V. O.* arbitria autem inter volentes dantur, *cap.* 1. *hoc tit.* Nec ſecundum argumentum obſtat; nam licet non ſolum ſibi, verum & heredibus, unumquemque ſtipulari, & cavere credatur; id tamen non ſemper, ſed plerumque contingit: in obligationibus enim facti jure Digeſtorum ſibi tantum, non heredi ſuo ſtipulaſſe teſtatorem videbatur, & ſi quis nuntiaſſet novum opus, tantum pro ſe, non pro heredibus nuntiaſſe credebatur, *l. non ſolum* 8. *§. morte*, *ff. de novi operis nunt.* ubi notavit Duarenus: hodie tamen *ex l.* 3. *C. de contrahenda ſtipul.* ſemper pro heredibus teſtatorem ſtipulaſſe creditur: ſic etiam in compromiſſis, niſi de heredibus expreſſe agatur, ad ipſos non tranſeunt.

8 Reſpondetur ſecundæ difficultati. Nec obſtat ſecunda difficultas deducta *ex d. l. ſed ſi interpellatus*, *§. ult. ff. hoc tit.* nam præſens deciſio accipienda eſt, cum in compromiſſo actum eſt de utriuſque compromittentis heredibus; & ut ad eos compromiſſum tranſeat; ſi enim de unius tantum herede caveatur, nec in ipſum tranſit compromiſſum, quia ejus obligatio mutua eſt, nec debet claudicare ex parte unius, *l. litigatores* 11. *§. pen. l. quid tamen*, *§. pen. ff. hoc tit.* Sed ſi litigatores in compromiſſo dixiſſent ad heredes tantum unius compromiſſum tranſire, ejus obligatio claudicaret ex parte alterius; ſiquidem in ejus heredem non daretur. Unde ut par ſit compromiſſi obligatio, recte ſtatuimus *in d. §. ult.* compromiſſum non poſſe tranſire in unius heredem, quin etiam in alterius ſucceſſores tranſmittatur, ut docent Faber *ibi*. Cujacius *l.* 4. *ff. Juliani*, *in eo textu*. Tandem non obſtat ultima difficultas deducta ex æquiparatione abſentis; uno enim ex arbitris abſente, alii de cauſa cognoſcere valent; non vero uno eorum defuncto. Diſcriminis ratio naſcitur ex eo, quia abſens vocari poteſt, ut cauſæ cognitioni interſit; & eo contumace, alii arbitrium dicere valent, *c. ult. hoc titul. in* 6. In defuncto vero non poteſt dari hæc contumacia; unde alii non poſſint in cauſa procedere, ut aliis relatis docet Seſſe *de inhibit. d. §.* 1. *n.* 35.

9 Exponitur textus in l. non diſtinguemus. §. ſi is faciat 10. ff. hoc. Superiori aſſertioni obſtat primo textus *in l. non diſtinguemus* 32. *§. ſi is faciat* 10. *ff. hoc tit.* ubi proponitur, Mævium ſuper certo fundo compromiſſum cum Sejo feciſſe; & cum Sejus deceſſiſſet, herede relicto Sempronio, Mævius cum eo judicio petitionis hereditatis agebat. Quæſtio fuit, utrum arbiter cogendus eſſet arbitrium dicere; defuncto uno ex compromittentibus? Et reſpondit Paulus, cogendum non eſſe ſententiam dicere, imo inhibendum eſſe ſententiam proferre, ne fiat præjudicium hereditatis petitioni, quia cum hoc judicium centumvirale ſit, non poteſt ante aliud diſceptari, *l. Divus Pius* 5. *ff. de petit. heredit. l. ult. C. eod. tit.* Ex quo Pauli reſponſo deducitur, compromiſſum non extingui morte compromittentis; ſiquidem poſtea poteſt arbiter ſententiam dicere. Cui difficultati ſatisfaciunt Accurſius, Faber, & Cujacius *ibi*, & *l.* 13 *Pauli ad edictum*, dicendo in ea ſpecie actum fuiſſe expreſſe a compromittentibus, ut ad heredes compromiſſum tranſiret; unde recte Paulus affirmat, etiam defuncto uno ex compromittentibus, poſſe arbitrum ſententiam dicere.

Intelligitur c. ex parte 10. hoc tit. Secundo opponitur textus *in c. ex part.* 10. *hoc tit.* ubi ſequens proponitur caſus. Vacante Præpoſitura S. Cuniberti, quidam ex Canonicis elegerunt Hermannum, alii vero Conradum; & ſuper ipſa electione in Archiepiſcopum Colonienſem, alias judicem ordinarium ipſius cauſæ, compromiſſum fecerunt; & cum Archiepiſcopus ad ſententiam proferendam certum diem præfixiſſet, interim Hermannus electus deceſſit, Archiepiſcopus ſtatim Canonicis juſſit, ne ad ſecundam electionem procederent, prima non caſſata: & cum Canonici contempta hujuſmodi inhibitione elegiſſent Brunum in Præpoſitum, adveniente die præfixo ad arbitrium dicendum, Conradus petebat ut Archiepiſcopus illud proferret. Conſultus Honorius III. reſpondit, quod licet compromiſſum fuiſſet ſolutum per mortem Hermanni, tamen ipſum Archiepiſcopum debere in cauſa procedere, antequam ſecunda electio celebraretur. Ex qua Honorii deciſione deducitur, adhuc defuncto uno ex compromittentibus, poſſe arbitrum in cauſa procedere, & eam terminare. Agnovit difficultatem gloſſa *in eo textu*, *verbo Cognoſcere*, cujus ſolutionem amplectuntur omnes repetentes *ibi*: ſed ſubtilius ſatisfacit Cironius in notis ad ipſum textum, aſſerendo arbitrum in ea ſpecie potuiſſe poſt mortem Hermanni arbitrium dicere, quia durabat compromiſſum ratione Conradi ex una parte, & ex alia reſpectu eorum, qui elegerunt ipſum Hermannum; unde decidenda erat cauſa ipſius electionis, ne ea non caſſata, ad aliam procederetur, contra principium textus *in c. conſideravimus*, *de elect*, quod etiam expreſſe conſtituit Bonif. VIII. *in cap.* 1. ut lite pendente. *l.* 6. quare cum ex natura cauſæ comprehenſæ in ipſo compromiſſo proveniret, ut prima electio eſſet caſſanda, antequam ad ſecundam procederetur, juſte Honorius decrevit, etiam poſt mortem Hermanni Archiepiſcopum, velut arbitrum, vel tamquam ordinarium debere ſententiam proferre.

10 Exponitur c. præſentata, de teſtibus. Tertio præſenti aſſertioni opponi poteſt textus *in c. præſentata* 50. *de teſtib.* ubi proponitur, litem diſceptari inter Archidiaconum Sueſſionenſe ex parte una, & Capitulum S. Petri ex alia, ſuper juriſdictione quam idem Archidiaconus ſe habere aſſerebat: & cum arbitros elegiſſent Bertrandum, Radulphum, & Petrum, ipſi arbitri in cauſa proceſſerunt: & cum jam teſtibus receptis, publicatiſque atteſtationibus arbitrium proferre propoſuiſſent, unus ex ipſis deceſſit, & alter in Archiepiſcopum electus fuit; & ita Radulphus tantum remanſit. Partes petierunt ab Innocentio III. ut cauſam viris diſcretis committeret terminandam, cum tantum unus arbiter remanſiſſet. Pontifex eam commiſit certis judicibus, ut juxta acta a prædictis arbitris ſententiam proferrent. Quem textum ita expendo: Si compromiſſum finiretur morte unius ex arbitris, acta coram ipſis non valerent, cum acta coram judice incompetenti fidem non faciant coram competente, *c. at ſi clerici*, *de judiciis*. Late probat Parexa *de inſtrument. edit. tit.* 7. *reſol. ult.* igitur ſi acta ab arbitris confecta, etiam mortuo uno ex eis durant, ideo eſt quia compromiſſum omnino non finitur. Deinde difficilis eſt textus ille, dum in eo docetur, unum tantum arbitrum ſupereſſe ex tribus receptis, cum unus ſolus deceſſiſſet. Primæ difficultati reſpondendum eſt, diſcrimen conſtituendo inter acta, quæ pertinent ad litis deciſionem, ut teſtium depoſitiones, & partis confeſſio; & quæ pertinent tantum ad litis ordinationem. Priora etiam facta coram uno judice, fidem faciunt coram alio, *l.* 2. *C. de edendo*, ſi redacta ſint in publicam formam, *l. ult. C. de re judic.* Secunda vero litis ordinatoria, veluti citationes, litis conteſtatio, teſtium productio, pereunt perempta inſtantia: Parexa *d. reſol. ult. n.* 8. Unde cum *in d. c. præſentata*, agatur de teſtium depoſitionibus publicatis, & redactis in publicam formam, fidem faciunt coram judicibus delegatis, nec pereunt extincta compromiſſi inſtantia: docent Farin. *de teſtib. q.* 25. *n.* 112. Barb. *in d. c. præſentata*, *nu.* 4. Secundæ difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, in eo textu compromiſſum non ſolum finiri morte unius ex arbitris, verum etiam aſſecutione dignitatis Archiepiſcopalis; ſiquidem certum eſt, per adeptionem ſacerdotii, aut ſimilis dignitatis arbitrum excuſari ab arbitrio dicendo, *l. non diſtinguemus*; *§. Sacerdotio*, *ff. hoc tit. l. Prætor*, *ff. de vocat. munerum*, *l. ſi longius* 18. *ff. de judiciis*. Docet Pinellus *l.* 1. *ſelect. c.* 8. *n.* 14. Unde cum in dicto capite *præſentata*, unus ex tribus arbitris deceſſiſſet, alter vero in Archiepiſcopum fuiſſet electus, recte aſſeritur, unum tantum arbitrum remanere, quia alii duo arbitrium dicere cogi non poterant, etſi contrarium teneat Cironius *ad illum textum*. Nec huic ſolutioni obſtat textus *in l.* 4. *ff. hoc tit.* ubi docetur, quod etſi arbiter magiſtratum aſſequatur, poteſt cogi ſententiam dicere; nam magnum diſcrimen verſatur inter arbitrum in Magiſtratum noviter creatum, & inter arbitrum in Sacerdotem cooptatum; quia per aſſecutionem Magiſtratus non eximitur arbiter a compromiſſi obligatione, ſecus vero ſacerdotio obveniente. Diſcriminis ratio ex eo provenit,

venit, quia Magiſtratus non ſemper, & continue negotiis Reipublicæ incumbit; Sacerdos vero adeo templo mancipatur, ut ab eo recedere non poſſit, *l.* 2. *ff. de in jus voc.* unde cogi non poteſt arbiter ſacerdotio obveniente divina officia deſerere, & arbitrium dicere. Docet Cujacius *l.* 13. *Pauli ad edictum*, *in d. l. non diſtinguemus*, *§. ſacerdotio*.

11 Int. c. Raynuntius, de teſtamentis. Quarto præſenti aſſertioni adverſatur textus *in c. Raynuntius*, *de teſtam.* ubi quædam controverſia, quæ circa ſucceſſionem teſtamentariam inter quoſdam vertebatur, in tres arbitros compromiſſa fuit; & cum unus ex eis deceſſiſſet, ſupponitur alios in cauſa proceſſiſſe, eamque ſine debito terminaſſe: igitur morte unius ex arbitris non finitur compromiſſum; imo ſuperſtites arbitrium dicere valent. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, quod licet pluribus arbitris receptis, aut judicibus delegatis, uno defuncto, alii in negotio procedere non poſſint, *c. cauſam* 16. *c. cum cauſa* 21. *c. uno*, *de officio deleg. c. ſi duo* 3. *hoc tit. in* 6. hoc tamen procedit, niſi adjecta ſit clauſula, *quod ſi non omnes*; tunc enim ſuperſtites, aut unus tantum negotium terminare poſſunt, *c. ſciſcitatus*, ubi probavi *de reſcriptis*. Unde cum *in d. c. Raynuntius*, adjecta eſſet clauſula, *quod ſi non omnes*, & expreſſe cautum, quod ſi non omnes, duo, alterve in cauſa procederent; ideo morte unius non finitur compromiſſum.

12 Explicatur l. debitor 13. de negotiis geſtis. Quinto refragatur præſenti aſſertioni textus *in lege debitor* 13. *ff. de negotiis geſtis*, ubi proponitur, Titium, cui Mævius 50. debebat, defuncto Mævio, ipſiuſque hereditate jacente, negotia hereditaria geſſiſſe, vendidiſſeque aliquas res infructuoſas, & centum ex earum venditione in arca repoſuiſſe, ex qua ſubrepta fuerunt ſine ipſius culpa. Quæſitum fuit, utrum Titius negotiorum geſtor poſſit petere quinquaginta ſibi a Mævio debita, & inſuper decem, quæ in negotiis geſtis impenderat, Et ex ſententia Juliani Paulus docet, hoc modo diſtinguendum eſſe. Aut Titius habuit juſtam cauſam cuſtodiendi ipſam quantitatem, vel non. Primo caſu nihil petere poſſe, imo & 40. reſidua, contraria negotiorum geſtorum actione præſtare debere. Secundo vero caſu ſexaginta petere poſſe. Apponit Conſultus exempla, in quibus juſtam cauſam cuſtodiendi Titium habuiſſe creditur, & inter alia illud expreſſit, ſi periculum erat, ne pœna committeretur compromiſſo appoſita. Ex qua facti ſerie deducitur, poſt mortem compromittentis tranſire compromiſſum in hereditatem jacentem, & per conſequens in heredem. Igitur non recte aſſerimus, compromiſſum finiri morte compromittentis. Pro hujus difficultatis ſolutione duo juris principia præmittenda ſunt. Primum, quod licet acta coram arbitris non ſufficiant, ut compromiſſum ad heredes tranſeat, ſententia non prolata, tamen ſi ſententia dicta ſit, licet executioni mandata non fuerit, tranſit in heredes, *leg. quamvis*, *leg. diem*, *§.* 1. *ff. hoc tit.* ex quo enim lata fuit ſententia, ceſſat ratio ſupra expenſa: quare compromiſſum fit tranſmiſſibile. Secundo notandum eſt, pœnam, tam conventionalem, quam legalem, committi adverſus hereditatem jacentem; unde ſi certo die pecunia promittatur ſub pœna, & hereditate jacente dies venerit, committitur pœna, *l. ad diem* 77. *ff. de V. O. l.* 2. *ff. de nautico fœnore*. Similiter ob non ſolutum tributum, hereditate jacente, cadit in commiſſum, *l. ſi ex cauſa* 9. *§. ſi commiſſum*, *ff. de minoribus*, plura perdoctus D. Melchior de Valentia *t.* 3. *Illuſtrium*, *tr.* 1. *c.* 2. *n.* 3. quibus ſuppoſitis, facile reſpondetur prædictæ difficultati; cum enim in eo textu ſententia ab arbitris dicta fuiſſet in vita compromittentium, licet uno eorum defuncto adhuc executioni mandata non eſſet, potuit committi pœna adverſus ejus hereditatem jacentem, ut textum illum accipit Valentia ubi ſupra, *n.* 8.

13 Exponitur l. diem 27. §. 1. hoc tit. Ex ſupra traditis exponendus eſt textus *in leg. diem* 27. *§.* 1. *ff. hoc tit.* ubi generaliter docet Ulpianus, compromiſſum non tranſire ad heredes, ſi de illis nulla mentio facta ſit: proſequitur, & ait non eſſe admittendam ſententiam Labeonis, qui exiſtimavit, quod ſi arbiter pecuniam dare juſſerit, & condemnatus deceſſerit, antequam eam præſtet, committitur pœna, licet ejus heres paratus ſit pecuniam ſolvere: quæ verba difficillima viſa ſunt Antonio Fabro in ejus rationali, ex eo; [illegible] compromiſſum finitur morte, ad quid Labeo af[illegible] heredem offerentem pecuniam compromiſſo comprehenſam, non poſſe evitare pœnæ commiſſionem. Quare exiſtimat, ea verba, *licet heres ejus paratus ſit offerre*, eſſe Triboniani, aut alicujus imperiti Interpretis. Alio modo difficultate diſſolvere intendit, & illum textum in amicitiam reducere [illegible] *ditionibus inſtit.* Oſualdus *ad Don*[illegible] *litt. E.* Sed his omiſſis, vera interpretatio ipſius textus provenit ex ſupra adductis: cum enim defunctus poſt arbitrium ab arbitris dictum teneretur ſtare ſententiæ ſub pœna, ſi illi non paruit, ſolvendo heres, aut offerendo ſententiæ parere, non poteſt effugere pœnam, cum jam dici non poſſit, teſtatorem paruiſſe ſententiæ. Et quia heredes non poſſunt adimplere conditiones in faciendo teſtatoribus præſcriptas, *l.* 44. *&* 69. *ff. de cond. & demonſt.* ſic etiam adimplere non poſſent illam conditionem compromiſſo comprehenſam, parendi ſententiæ, aut ſolvendi pœnam; nec poſſunt etiam offerendo arbitrio ſtare, evitare pœnæ commiſſionem; ſed ſi illi ſententiæ arbitrorum non ſtarent, cum teſtator ei paruiſſet, ſolverent pœnam, quia ex eorum perſona debetur, non vero ex perſona defuncti, ex qua non poterant cogi ſolvere pœnam, cum jam arbitrio paruiſſet, *l. a teſtatore* 109. *ff. de condit. & demonſt.*

Finis Libri primi Decretalium.